

NUMMI DICATI MEMORIÆ
ERNESTI COLONIENSIS ARCHI-
 Episcopi, & Ferdinandi eius Fratris, Bavarix Ducum;
 cusi Gebhardo Truchsesio ex Eburo-
 nibus pulso: Anno Christi

1584.



Captâ Bonnâ, Ferdinandus Dux Bavarix Gebhardum Truchsesium pridie cald. April. iuxta pagum Isalæ ex improviso adoritur: sed à Brunsvicensi repellitur; usque dum Gallorum trecentorum super-ventu prælium redintegratum est. Disiectâ tra-bium transversarum, quæ iter impediabant mole, Galli in latus incumbunt, & signa iam conversa for-titer inferunt. Cum diu ancipiti pugnâ certatum fuisset, tandem victoria ad Bavaros, numero potio-res inclinavit, cedentibus primo Truchsesianis, & mox, soluto ordine, in fugam vertis: loco ad eò angusto, ut pauci perniciem effugerint. Ex Bavaricis vix viginti occubuerunt, plures vulnerati: inter quos fuere Arconatus & duo Nobiles, Horatius item ordinum ductor. Ipse Brunsvicus cum ardo-re pugnandi ulterius profectus esset, signiferumque suum ex hostium ma-nibus eripere veller, cum eo captus, & ad Ferdinandum ductus est: inde Traianam Coloniam sub custodiâ missus. Ingens præda capta, & quod plus præda æstimatum est, prætorium vexillum, in quo Truchsesianorum insignia depicta erant. Confecto prælio in castra venit Thomas Epirota, à Parmensi missus, cum VII lectissimis equitum alis. His auctus copiis Fer-dinandus contra Gebhardum ducit, qui mille equites adhuc penes se inte-gros habebat. Verùm cognito hostium adventu Isalam primum, dein & Rhenum traiecit, & in Batavorum insula inter Leccam & Vahalim se mu-nivit